

LECTIO XVI: Η ΤΕΛΕΥΤΑΙΑ ΜΑΧΗ ΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΤΗ ΓΑΛΑΤΙΑ

Nostri, postquam pila in hostes miserunt, gladiis rem gerunt. Repente post tergum equitatus cernitur; cohortes appropinquant; hostes terga vertunt ac fugiunt; eis equites occurrunt. Fit magna caedes. Sedulus, dux et princeps Lemovicum, occiditur; dux Arvernorum vivus in fugā comprehenditur; signa militaria LXXIIII (septuaginta quattuor) ad Caesarem referuntur; magnus numerus hostium capitur atque interficitur; reliqui ex fugā in civitates discedunt. Postero die ad Caesarem legati mittuntur. Caesar iubet arma tradi ac principes produci. Ipse pro castris consedit; eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma proiciuntur.

LECTIO XVII: ΦΟΒΟΣ ΜΠΡΟΣΤΑ ΣΤΟ ΑΓΝΩΣΤΟ

Magnus timor exercitum occupāvit ex vocibus Gallōrum ac mercatōrum, qui

Germānos ingenti magnitudine corporum et incredibili virtūte esse praedicābant.

Alius aliā de causā discedere cupiēbat. Nonnulli pudōre adducti remanēbant. Hi

neque vultum fingere neque lacrimas tenēre poterant; abditi in tabernaculis aut

suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commūne periculum

miserabantur. Totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timōre

paulātim etiam ii, qui rei militaris perīti habebantur, perturbabantur.

LECTIO XVIII: Ο ΗΡΑΚΛΗΣ ΣΤΗΝ ΙΤΑΛΙΑ

Hercules boves Geryōnis ex Hispaniā in eum locum adduxisse dicitur, ubi postea Rōmulus urbem Rōmam condidit. Prope Tiberim fluvium Hercules boves refecisse fertur et ipse de viā fessus ibi dormivisse. Tum Cacus pastor, fretus viribus, boves quosdam in speluncam caudis traxit aversos. Ubi Hercules, e somno excitātus, gregem aspexit et partem abesse sensit, pergit ad proximam speluncam; sed postquam boum vestigia foras versa vidit, confūsus gregem ex loco infesto amovēre coepit. Sed bovum mugītus ex speluncā audītus Herculem convertit. Tum Cacus, vi prohibēre eum conātus, Herculis clavā interficitur.

LECTIO XIX: Η ΣΥΝΩΜΟΣΙΑ ΤΟΥ ΚΑΤΙΛΙΝΑ

Marco Tullio Cicerōne et Gaio Antōnio consulibus, Lucius Sergius Catilīna, nobilissimi generis vir sed ingenii pravissimi, contra rem publicam coniurāvit. Eum clari quidam sed improbi viri consecūti erant. Catilīna a Cicerōne ex urbe expulsus est. Socii eius deprehensi sunt et in carcere strangulāti sunt. Ab Antōnio, altero consule, Catilīna ipse cum exercitu suo, proelio victus, interfectus est. Gaius Sallustius tradit multos etiam milites Rōmānos in eādem cruentissimā pugnā occīsos esse, multos autem graviter vulnerātos esse.

LECTIO XX : ΠΙΣΩ ΑΠΟ ΤΙΣ ΚΟΥΡΤΙΝΕΣ' Η ΠΩΣ Ο ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΕΓΙΝΕ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑΣ

Claudius quinquagesimo anno aetatis suae imperium cepit mirabili quodam casu.

Exclusus ab insidiatoribus Caligulae, recesserat in diaetam, cui nomen est

Hermaeum. Paulo post rumore caedis exterritus prorepsit ad solarium proximum

et inter vela praetenta foribus se abdidit. Discurrens miles pedes eius

animadvertisit; eum latentem adgnovit; extractum imperatorem eum salutavit.

Hinc ad commilitones suos eum adduxit. Ab his in castra delatus est tristis et

trepidus, dum obvia turba quasi moriturum eum miseratur. Postero die Claudius

imperator factus est.